

structione veritatis creatæ destrui veritas divina. Respondetur, quod quando veritas minus perfecta, et firma derivatur a veritate firmiori, et perfectiori, bene potest ex destructione inferioris sequi destructio superioris, non propter dependentiam superioris, sed propter consequentiam, quia licet non dependeat ab inferiori, essentialiter tamen petit, ut inferius dependeat a se, et consequatur a se, ita quod si tollatur ista dependentia, et consequentia illud superius destruetur, quia ex sua natura id postulat, sicut si modo de facto daretur aliqua creatura existens independentem a Deo, tolleretur potestas divina, quæ essentialiter petit, ut omnia dependeat a se. Et si tolleretur denominatio extrinseca visi, necessario deberet tolli ipsa visio, licet denominatio extrinseca non sit entitas realis, sicut est ipsa visio. Ac denique non omnis connexio necessaria est dependentia, et imperfectio sicut Personæ divinæ necessario sunt connexæ sine ulla dependentia: ergo etiam datur in Deo connexio eminentialis cum creatura possibili, sine dependentia ex parte Dei, sed solum dependentia ex parte creaturæ, derivata tamen seu consecuta necessario ex parte Dei supposita ejus omnipotentia. Et de hac solutione videri potest D. Thomas quæstione II de veritate, art. III ad XI, ubi dicit: « Quod sicut si punctum diminuat in actu a quantitate lineæ non perit quantitas lineæ, si tamen diminuat, quod lineæ sit terminabilis ad punctum perit substantia lineæ, sic etiam nihil deperit a Deo si creaturæ non ponantur in esse, deperit tamen si auferatur ab eo potestas producendi creaturam. » Constat autem, quod auferatur potestas producendi lapidem si lapis redderetur impossibilis, quia non potest intelligi, quod creatura impossibilis per aliquam mu-

tationem sui, sed per mutationem potentiæ a qua oritur illa denominatio, de quo iterum disputatione supra, articulo I dicemus, et vide dicta supra, disputatione XV, articulo III.

XXIX. Ad id quod dicitur de futuris infra respondebitur disputatione XIX, interim sufficit dicere, quod neque ipsa substantia decreti liberi nude, et seorsim considerata, neque respectus rationis seorsim consideratus est medium cognoscendi futura, sed ipsum decretum seu actus divinæ voluntatis, quatenus fundat talem terminationem erga creaturas, quam nos per respectum rationis explicamus. Est enim actus liber Dei tantæ efficaciam, et perfectionis in se quod potest creaturas velle aut nolle sine ulla mutatione in se vel dependentia ab illis, cum summa tamen dependentia creaturarum ab eo. Et hoc sufficit ad connexionem necessariam, quæ ex parte unius extremi, scilicet creaturæ se habet per modum dependentiæ, et ex parte Dei per modum consequentiæ, et eminentiæ. Imo quanto est minor dependentia ex parte causæ, magis habet manifestare effectum, quia perfectius continet illum et profundius in eum influit, sibi que eum connectit. Unde ad manifestandos effectus magis conducit in causa connexio sine dependentia et relatione reali ad effectus, dummodo tamen effectus maxime dependeat ab illa.

XXX. Ad confirmationem p. Lessii respondetur, quod decretum permissivum, licet non sit radix peccati, habet tamen infallibilem connexionem cum illo non infallibilitate influxus, et causalitatis, sed consequentiæ; sicut enim ex suspensione divini concursus quantum ad esse sequitur necessario annihilatio creaturæ, ita ex permissione peccandi, quæ est suspensio concursus

DISPUTATIO XVIII.

DE SCIENTIA SIMPLICIS INTELLIGENTIÆ.

ARTICULUS I.

Quid sit scientia simplicis intelligentiæ, et circa quid versetur?

I. Celebris apud theologos est divisio scientiæ divinæ in scientiam simplicis intelligentiæ et visionis. De qua divisione D. Thomas hic articulo IX dicit: « Quod respectu eorum, quæ non sunt, nec erunt, nec fuerunt non habet Deus scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. » Quam distinctionem scientiarum etiam ponit in primo contra gentes, cap. LXVI, in fine et quæstione XX de veritate, articulo IV ad primum.

II. Cur autem scientia quæ versatur circa quidditates rerum in statu pure possibilitatis appelletur scientia simplicis intelligentiæ? Ratio sumi potest ex D. Thoma quæstione III de veritate, art. III ad VI, ubi inquit: « Quid simplex notitia dicitur non ad excludendum respectum scientiæ ad scitum, qui inseparabiliter omnem scientiam comitatur, sed ad excludendum admixtionem ejus quod est extra genus notitiæ sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vel ordo voluntatis ad res scitas, quem addit scientia approbationis. » Sic D. Thomas. Dicitur itaque simplex intelligentia illa quæ pure se tenet intra limites cognitionis, nec aliquid admiscet, vel connotat supra lineam cognitionis, vel de respectu voluntatis, vel de respectu coexistentiæ ipsius objecti sub eadem duratione cognitionis. Unde colligitur quod visio seu intuitio formaliter loquen-

et auxilii ad bonum, infallibiliter sequitur defectus in operando non per modum influentiæ, sed per modum remotionis causæ prohibentis sicut ex remotione columnæ sequitur casus lapidis, de qua solutione, et aliis ei annexis plenius dicemus infra, disputatione XIX, art. III et disputatione XX, art. V. Nec tamen talia decreta sive positivum quoad entitatem actus, sive permissivum quoad defectum tollunt libertatem nostram efficaciam suam, quia hoc commune est omnibus decretis divinis, ut dicemus infra, quæstione XIX, art. VIII et disputatione XX, articulo ultimo, quod quia efficaciam eorum fundatur in causalitate universalissima Dei, quæ non solum causat substantiam et existentiam actus, sed etiam modum libertatis vel necessitatis, et quidquid in tali actu est, ideo talis efficaciam non potest tollere libertatem, sed magis causare, et radicare. Denique, ad id quod affertur ex D. Thoma articulo X hujus quæstionis, scilicet imperfecte aliquid cognosci per aliud si per se sit cognoscibile, sensus est quando cognoscitur per aliud si per se sit cognoscibile, sensus est quando cognoscitur per aliud, in quo continetur minus perfecte et proprie, quam in seipso: si autem cognoscitur per aliud quod magis perfecte, et proprie continet ipsum, quam sit in se, sic non imperfecte cognoscitur, si cognoscat per aliud. Divina autem essentia perfectissime continet omnem creaturam tamquam ratio propria, et causa per se, licet suprema, et eminentissima, uniuscujusque secundum quod est participabilis ab ipsis, ut dicit Div. Thomas hic articulo VI ad tertium.

do supra simplicem intelligentiam non petit quod notitia sit clarior, vel perfectior aut magis quidditativa in cognoscendo, id enim totum pertinet ad genus notitiæ intra lineam, et rationem cognoscibilis, sed solum petit quod ex parte objecti quod est terminus attactus per cognitionem res illa physicam existentiam habet secundum quam coexistat tali cognitioni, et sic addit respectum coexistentiæ termini cogniti ad existentiam cognitionis. Qua etiam ratione dicit S. Thomas in hac quæstione, articulo IX, ideo Deum non videre res pure possibles quia apud nos videntur ea quæ habent esse distinctum extra videntem. Ergo secundum D. Thomam visio solum addit supra simplicem intelligentiam, ordinem ad existentiam physicam objecti terminativi. Notitia autem approbationis addit ordinem ad voluntatem complacentem, aut permittentem circa res intellectas, et sic ordinantem de illis. Ea vero quæ per visionem attinguntur ut existentia sunt, etiam attinguntur a scientia simplicis intelligentiæ, ut præcise id ratione suæ quidditatis considerantur.

QUID SIT STATUS POSSIBILITATIS?

III. Licet sufficienter salvetur cognitio simplicis intelligentiæ per hoc quod quidditas seu essentia rei attingatur quantum ad prædicata essentialia et constitutiva, etiam si nihil de statu illius rei cognoscatur, quia hoc maxime pertinet ad puram, et meram speculationem rei, tamen quia in ipsa rei essentia involvitur possibilitas, hæc enim necessario convenit omni enti reali creabili, quippe cum per hoc distinguatur ab ente pure ficto quod est incapax ut ponatur in re atque adeo non est possibile, non immerito quaeri solet quid sit possibilitas

ista? Cum enim per illam distinguatur ens reale creabile a ficto, videri potest quod possibilitas ista sit realitas aliqua, et non pura aliqua negatio, vel ens rationis, quomodo enim per ens rationis distingui potest ab ente rationis? Ex alia autem parte nulla realitas datur extra Deum antequam de facto producat aliquid, et creetur; totum enim quod ante productionem consideratur in re est nihil. Quod si dicatur esse in potentia, non tamen verificatur, quod sit in potentia per aliquid quod intrinsece, et positive in creatura fit, sed per potentiam quæ est in creatore, ut inquit D. Thomas I part. quæst. IX, art. II, quia omnes creaturæ antequam essent non erant possibles esse per aliquam potentiam creatam, cum nullum creatum sit æternum, sed per solam potentiam divinam, in quantum poterat Deus eas in esse producere. Unde communiter distingui solet duplex potentia alia logica, alia physica: logica solum explicat rationem objecti alicujus potentiæ activæ, et accipit denominationem possibilitatis a potentia ipsa et virtute activa: potentia physica est potentia subjectiva et per modum materiæ, quæ potest suscipere id quod produci potest, et subjicitur agenti ut ex illa producat, non illi objicitur sicut res producibilis.

IV. Propter hoc ipse D. Thomas in hac prima parte, quæstione XXV, art. III, rationem possibilitatis explicavit ex ipsa ratione non repugnantiam, et impossibile seu implicatorium ex ratione repugnantiam, non quidem per repugnantiam ad potentiam, sic enim daretur circulus in explicando possibilitatem creaturarum, et rationem omnipotentiam, si dicatur illud esse possibile, quod non repugnat omnipotentiam, et illud omnipotentiam non repugnare quod est possibile, sed explicanda

est repugnantia vel non repugnantia penes habitudinem terminorum, quatenus scilicet repugnat vel non repugnat prædicatum subjecto. Verba D. Thomæ sunt: « Dicitur aliquid possibile, vel impossibile absolute ex habitudine terminorum, possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subjecto, ut Socratem sedere; impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum. » Et infra: « Esse divinum supra quod ratio divinæ potentiæ fundatur est esse infinitum non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem. Unde quidquid potest habere rationem entis continetur sub-possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, nisi non ens. Hoc igitur repugnat rationi possibili absolute quod implicat in se esse, et non esse simul. Hoc enim omnipotentiam non subditur, non propter defectum divinæ potentiæ, sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possibilis. » De eodem videri potest D. Thomas quodlib. III, art. III.

V. Ex quibus deducitur quod status possibilitatis in creaturis non est aliquid reale formaliter positive illis conveniens, et actu in illis inventum, licet res quæ tali statui subditur sit realis non actu existens, sed solum objective, id est, cum non repugnantia terminorum. Et illud dicitur non habere repugnantiam terminorum, quando prædicatum convenit subjecto, sicque potest habere rationem entis, quod autem implicat contradictionem, et habet repugnantiam terminorum, ideo est, quia involvit aliquid de ratione non entis in non conveniendo prædicatum subjecto. Hoc ipso autem quod aliquid est participabile a primo ente seu ob-

jective habet rationem entis, et non repugnantiam terminorum dicitur contineri in ratione omnipotentiam et participat ab illa denominationem possibilis seu statum possibilitatis, qui est status excludens existentiam actu, non tamen repugnantiam ponens in ipsa re, et ideo ex parte ipsius rei objective dicitur aliquid reale, licet ex parte status ut excludit actualem existentiam nihil existentiam sit, est tamen aliquid essentiam objective, seu non repugnantem. Unde licet ex parte existentiam positive, et actu non sit aliquid, et ex hac parte dicatur ens rationis, sed tamen objective dicitur aliquid reale in quantum id cui convenit talis status est objectum potentiæ realis, et non habet repugnantiam seu implicationem, ut fiat a potentia reali. Id autem quod est pure nihil, et ens fictum nec positive, nec objective dicitur ens reale, quia habet repugnantiam seu incapacitatem ut sit ens. Status ergo non repugnantiam cum exclusione actualis existentiam pro aliqua differentia temporis dicitur status puræ possibilitatis: qui status distinguitur manifeste a statu existentiam actualis, tamquam duo status oppositi, ita quod primus relinquitur adveniente secundo, et status existentiam est realis, et realem actionem terminans. Possibilitatis vero status non est realis positive actu, sed objective, et in potentia.

VI. Dices: Non repugnantia quæ est status possibilitatis est quid positivum, si quidem duæ negationes affirmant, repugnantia autem est quid negativum; convenit enim etiam negationibus ut chimære, quæ repugnat esse: ergo negatio repugnantiam est negatio negationis, et sic affirmat. Similiter non apparet quomodo omnipotentiam versari possit circa purum nihil, versatur autem circa possibile: ergo illud

non est purum nihil. Imo possibile et existens non distinguuntur entitative, quia eadem entitas quæ est possibilitas redditur existens. Nec dici potest quod existentia est quid reale superadditum enti possibili, nam loquar de ipsa entitate existentia quæ ante erat possibilis, et modo existens, et non per aliam entitatem superadditam. Respondetur quod repugnantia est aliquid positivum seu positive explicabile; est enim oppositio, quæ relative dicitur, sicut convenientia dicitur relative, et hoc contraponitur repugnantia sicut contrarium, aut relativum, non repugnantia autem ut contradictorium. Nec obstat quod inveniatur in chimæra, ibi enim repugnantia seu incapacitas ad esse importabit oppositionem per modum relationis rationis, positive tamen explicabilis, et sic non repugnantia non est affirmatio. Similiter cum dicitur possibile objectum omnipotentia, intelligitur ut ponendum extra statum possibilitatis, non ut manens in illo. Possibile ergo pro statu sumptum negatio est, sed objective sumptum pro eo quod ponendum est in actu, aliquid reale est, non positive, sed objective: cum autem ponitur existens tunc positive quid reale est. Et conceptus ejus quoad essentiam sub statu possibilitatis et existentia est idem, conceptus vero existentia diversus est realiter a conceptu essentia etiam ut est sub existentia, multo magis ut est sub negatione existentia in statu puræ possibilitatis. Ipsa autem existentia in actu differt a se ipsa ut possibili, non per aliam existentiam, quia ipsa non est existens, nisi ut quo, sed per seipsam ut exercens terminationem rei productæ, a seipsa ut potens exercere circa rem producibilem, actu tamen non exercens, sicut albedo ut communicans subiecto suum effectum formalem dif-

fert a seipsa non exercenti in subiecto hunc effectum. Tunc autem quando existentia exercet, etiam actu dicitur esse denominative, de se enim solum est existens ut quo, non autem denominative et ut quod, nisi ut conjuncta rei existenti. Ex quo obiter confiteor id quod supra diximus quod non potest possibilitas creaturæ destrui formaliter in se nisi incipiendo tamquam a radice ab ipsamet potentia Dei. Quod utique ex dictis manifestatur, quia status possibilitatis duo includit, videlicet non repugnantiam terminorum ex parte objecti, et denominationem extrinsecam possibilitatis provenientem ab omnipotentia Dei; utrumque autem non potest tolli, aut mutari per mutationem creaturæ, quia nihil datur ex parte creaturæ, in quo sit positive ista non repugnantia et possibilitas. Quare solum potest intelligi quod tollatur incipiendo ab ipsa potentia Dei, a qua derivatur denominatio illa possibilitatis, sicut denominatio visi non potest tolli, nisi tollendo visionem a qua derivatur; similiter ab ipsa potentia participative est omnis ratio entis non involventis contradictionem non entis, ut colligitur ex ipso D. Thoma, quæstione xxv, art. iii. Quare possibilitas creaturarum non potest destrui nisi destructa prius potentia Dei a qua dimanat loquendo per locum intrinsecum, et ideo optime dicitur quod ex destructione possibilitatis creaturæ destruitur, vel potius præsupponitur destructa radicaliter omnipotentia Dei. Nec propter hoc dependet omnipotentia a creaturæ possibilitate, sed solum petit ex ratione sua intrinseca, quod creaturæ sint dependentes, et producibiles a se; unde non potest tolli quod creaturæ non dependeant a se, nisi sublata essentiali conditione qua ex natura sua petit ut creaturæ dependeant a se.

DEUS ABSTRACTIVE COGNOSCIT CREATURAS POSSIBILES

VII. Non defuerunt aliqui qui affirmarunt non debere admitti in Deo cognitionem abstractivam etiam circa creaturas possibles, quod solet attribui Gregorio in 1, distinct. xxxix, quæst. ii et cuidam Francisco de Christo in 1, distinct. xxix, quæst. vi ad sextum, quorum fundamenta statim referemus. Et qui tenent abstractivam cognitionem esse quæ fit per species alienas et non proprias rei, idem sentient.

VIII. Cæterum distinguere oportet de abstractivo ut tenet se ex parte rationis formalis seu objecti primarii, et motivi divina cognitionis, et de objecto ipso terminativo, et secundarie attacto, scilicet creaturis ut terminantibus divinam cognitionem. Si loquamur de objecto primario et motivo non est dubium juxta superius dicta, quod hoc est ipsa essentia divina quam certum est non posse Deum abstractive videre, cum se immediate præsentem cognoscat, nec possit absentem attingere. Cæterum loquendo de objecto secundario, et terminante materialiter divinam cognitionem, negari non potest quod creaturas possibles ut sunt in statu possibilitatis abstractive attingat, et non intuitive, cujus ratio est manifesta, quia attingit illas, ut non existentes, et consequenter ut non præsentibus sibi præsentia entitativa coexistentia: ergo abstractive illas attingit, si quidem abstractiva cognitio in hoc præcise distinguitur ab intuitiva, quia intuitiva attingit rem ut existentem et coexistentem cognoscendi, abstractiva autem sine tali coexistentia. Unde nec etiam attingit illa scientia approbationis, quia Deus non habet complacentiam et voluntatem circa

existentiam creaturarum, sed potius noluit existentiam illarum.

IX. Dices: Saltem ex nolitione divina sequitur negatio existentia in talibus creaturis et futuritio conditionata, nam si Deus vellet, tales creaturæ existerent. Et multæ etiam ideo existentiam non sunt sortitæ, quia non fuit posita aliqua conditio quæ si poneretur, existerent: ergo circa tales creaturas habet aliquid quod intuitive videat scilicet futuritionem conditionatam et negationem existentia. Respondetur negationem existentia non esse objectum visionis, sed potius oppositum illi, cum visio per se loquendo versetur circa existentiam. Unde nulla negatio per se primo terminat visionem, sed solum ratione ejus in quo est, ut si in homine videtur negatio lapidis ideo est, quia videtur homo existens cui illa negatio adjungitur, negatio vero existentia in re non existente est omnino nihil. Et præterea ipsa negatio existente etiam nihil operante voluntate in ipso objecto habetur per hoc solum, quod res illæ omittantur a voluntate Dei et ejus actione. Si vero voluntas positive nolit res illas producere, non per hoc melioratur ipsa negatio existentia, ut possit intuitive videri, sed solum videtur actus liber nolitionis, ex quo sequitur denominatio quædam extrinseca circa illam negationem, nempe quod sit objectum nolitum, quod non est intueri negationem, sed actum sic denominantem. Quod vero attinet ad futuritionem conditionatam, illa non pertinet ad actum visionis Dei absolute, et de facto, quia res illæ per talem futuritionem conditionatam non habent de facto existentiam, sed haberent. Unde non terminant de facto visionem, sed terminarent, si conditio poneretur, simpliciter autem talia futura intra causas manent, in se autem de facto, non exeunt extra